



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Germanica

Châteillon, Sébastien

[S.l.], 1558

Capvt XXXI.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-54866](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-54866)

THEOLOGIA

Quòd si esset, & si sciret Deus aliquid melius Deo, id amaret, non se ipsum: vsq; adeò abest à Deo egoitas & ipsitas, nihilque rei habet cum ea, nisi quatenus necesse est ad personarum rationem. atq; hoc & esse debet, & re ipsa est, in diuino, siue in verè deificato homine: alioquin non esset diuinus, aut deificatus.

CAPVT XXXI.

*Deifica-
tus ho-
mo ni-
bil nisi
amare
nouit.
Mat. 5. f* **H**inc efficitur, vt deificatus homo pura & impermixta charitate sit præditus, & erga omnes, ergaque omnia beneuolus: itaque necessesse sit, vt ab eo omnes & omnia amentur, omnibusq; & hominibus & rebus ipse bene velit, faueat, & benefaciat, nullo discrimine. Quinetiam quicquid homini deificato facias, quod vel suaue sit, vel molestū, vel amabile, vel graue, quicquid tandem fit: dicam ampliùs, si quis huiusmodi hominem vel centies interficiat, & is toties reuiuiscat, tamen omnino amaret eum hominem, qui ipsum sic interfecisset: & licet ei iniurias & mala quàm uoles multa fecisset, tamen ei omnino postea

stea bene vellet, faueret, & bene optaret, ei que etiam optima quaque praeſtaret, ſi modo ea ille accipere & admittere valeret. Hoc in Chriſto animaduerti, planumque fieri po- teſt, qui Iudae proditori ſuo dixerit: Amice quorſum veniſti? quaſi dice- ret: Tu me odiſti, mihi que inimicus es, cum ego te amem, tibi que ſum amicus. & tu mihi cupis, exoptas & facis quam peſſime ſcis, aut potes: ego vero tibi optime volo, cupio & exopto, darem que & facerem tibi libenter optima quaque, ſi modo tu ea accipere aut capere poſſes. perinde ac ſi diceret Deus ex humanitate: Ego ſum merum ſimplex que bonum: itaque nihil etiam velle, cupere, optare, facere, aut dare poſſum, niſi bonum. Quod ſi tu mihi ſis pro tuo maleficio & improbitate remunerandus, oportet, vt id faciam bono, quandoquidem alioquin nihil aliud ſum, nihil que aliud habeo.

Hinc conſequitur, vt Deus in homine deificato nullam vltionem ex- petat, velit, aut faciat, vllius malefici, quo vnquam vel affici poſſit, vel afficiatur. Hoc perſpici poteſt in

D 3 Chri-

Lu. 23. e Christo, qui dixit: Pater ignosce eis, nesciunt enim, quid faciant.

Hoc etiam Dei proprium est, ut neminē vi cogat ad aliquid faciendum, aut omittendū, sed vnumquēque hominem, arbitratū suo facere aut omittere permittat tum bona tum mala, neque cuiquam resistere velit. Hoc videre licet in Christo, qui suis maleficis resistere aut repugnare nolebat. Itaque cū diuus Petrus repugnare vellet, dixit: Petre reponne gladium tuum in vaginam. nam vi resistere, repugnare & cogere, neque meum est, neque meorum.

Matth. 26. e

Neque item potest deificatus homo, quenquam grauare aut contristare. id quod sic accipiendum est: Nunquam ei venit in voluntatem, cupiditatem, aut mētem, quicquam facere, omittere, loqui aut silere, quod alicui homini dolorē pariat, aut merorem.

CAPVT XXXII.

Hominis voluntas ad malū pro- **D**icet aliquis: Si vnicuique optimè vult, optat & facit, debet etiam vnumquemq; adiuuare, efficereque, ut omnia ei ex animi sententia succedant, videlicet ut hic papatum,